

IV. De Frigidæ in Febribus Usu. Auctore Cl. Nicolao Cyrillo Prim. Med. Prof. Neapol. & R. S. S.

U S S Frigidæ & Frigidorum in Febribus haud recens est, sed apud Antiquissimos Medicos minimè infrequens fuit. In Febribus enim calidioribus, post Paroxysmi $\alpha\kappa\mu\eta\nu$, liberaliorem Aquæ, vel cujuspiam refrigerantis liquoris potationem concedebant, quâ defervescente febrili æstu, Æger placide conquiescens in criticum sæpenumerò sudorem exsolveretur. Verùm Febres curare *soldâ nivatâ Aquâ* copiosissimè per plures dies exhibitâ, omni subtracto medicamento alimentoque, id quidem omnino novum existimo ; atque non solum insolenter, sed, ut verum fatear, audacter nimis, non multis ab hinc annis hîc tentatum, methodo, ut rumor fuit, ab Hispaniâ, rudi & indigesto Commentariolo communicatâ : quâ curandi ratione nonnullos ex ipsis Orci faucibus, præter omnem expectationem, ereptos sub oculis nostris attoniti vidimus. Hæfere primùm cauti Medici tantâ Aquæ alluvie perteriti : at frequenti felicissimoque eventu excitati, tentabundi primùm, mox audaciores facti, quod quidam cæco impetu, & nullo morbi, morbique temporum discrimine aggrediebantur, ad cautiorem & securiorem methodum redegere : ita ut nullus jam apud nos sit Medicus, qui Clephantus $\delta\sigma\tau\psi\chi\rho\circ$ (ut notat Harduin in Plinium, Lib. 26.) appellari nolit. Hujus Methodi Canones repetitis experimentis confirmatos exponam. Magnum enim remedium est Diæta Aquea, (hoc nomine appellare libuit) quare in illius administratione,



quemadmodum in omnium magnorum remediorum usū, accuratislīmis cautionibus procedendum, ne quod pro Ægrotantis salute instituitur, illius potius necē moliantur.

Præcipiuus Canon est, ut post aliquot horarum à cibo abstinentiam, Ventriculo scilicet omnino vacuo, Aqua nive refrigerata ebibi incipiat, ad libram unam vel duas, pro Ægrotantis ætate, viribus, aut etiam siti. Eadem copia singulis horis, aut secundâ quâque, ut tardius, repetenda, eademque noctu diuque, nullā factâ intermissione nisi per subrepentem fortassis somnum, exhibeatur. A Cibo omnino abstinere debent Ægrotantes: Experiētiā enim constitit, illum cum Aquâ copiosâ permīstum, non solū in Ventriculo putredinem concipere, verū etiam ab eodem epotæ Aquæ substantiam infici, eamque minūs aptam reddi, quæ facilè exiliissima vascula permeare, adeoque in extima, simul & intima corporis dijici ac diffundi possit, ad præcipitationem & secretionem noxiōrum humorū moliendam. Inedia hæc ad plures dies producenda, quo usque scilicet Febris vel prorsū intermisserit, vel ad suminam remissionem deveinerit, atque Æger identidem de fame conqueri incipiat: si enim maturiū exibeatur Cibus, statim Febris suis stipata Symptomatibus iterum recrudescet. Quapropter nonnunquam ad septem, imò ad decem & plures dies (dummodò ab Aquâ non abstineatur) Ægrotantes ab omni alimento prohibemus. Neque ab hâc abstinentiâ quidquam metuendum: vel quod ob Aquæ frigiditatem, arctioribus redditis cutis spiraculis, Transpiratio insensibilis, adeoque nutritionis necessitas imminuatur; vel quod Aqua ipsa Nutrimenti Officinas assiduò

assiduo præterfluens, si quæ inibi sunt alimentorum reliquiae (sunt autem semper impactæ) eas secum rapiat, atque per universum Corpus diffundens, nutricationis negotio, quoad fieri potest, consulat. Quomodo cumque autem se res habeat, illud quotidianâ praxi confirmatum est, Cibum cum copiosâ Aquâ cominisceri, absque summo Ægri periculo, non posse: ita ut quamprimum Cibus Ægrotanti conceditur, ille vel absque Potu, vel cum exigua Aquæ potatione exhibendus: imò concedendum quoque est aliquot horarum intervallum à Frigidæ potu vacuum, quo commodè Cibus in Ventriculo digeri queat.

Hic feligendus tenuissimus & *εὐπεπτός*, ut Panis purâ Aquâ coctus, Pastilli de micâ Panis, Ovum forbile, vel vix ferculum aliquod jurulentum. Hæc semel primùm & paucissima, hinc bis in die exhibenda, ut sensim ad lautiusculum prandium, servatâ tamen exigua cœnâ, gradum faciamus: omnino verò, etiam per mensem & ultrâ, carnis parendum. Cum hujus generis Cibo vescuntur Ægri, haud Aquæ valedicendum, sed peractâ illius assumti digestione, ad duas vel tres potationes erunt cogendi: quousque integrè devicto morbo, corporis vires sensim recuperantes, ad diu exoptataim convalescentiam perducantur.

In hujus autem Curationis curriculo quædam accutate animadvertenda sunt. Principem locum tenet Observatio, num Aqua assumta facilem sibi transitum paret, an non. Cum Urinæ, saltem post diei intervallo, copiosiores & decolores sensim fieri incipiunt; tunc Aquam viam sibi facere cœpisse puta. Nonnunquam primâ statim die vel secundâ tertiâve, Alvus solvitur,

solvitur, cum ejectione primùm fæculentioris faburræ, mox variegatorum humorum : hinc spes major affulget ; Febris enim, Alvo solutâ, sensim se remitti, atque symptomata sedari incipiunt. Quod adeò verum est, ut si secundus vel tertius dies excurrat, absque eo quod ventre secedant Ægri, etiamsi universa fortè Aquæ quantitas per Urinæ vias foras amandetur ; Clysteribus tamen suppositis, & Oleo Amygdalarum dulcium per os assumto, lubrici reddendi : crassiores enim humores, qui in priinis viis continentur, quique Febrim fovent, vel in Febricitantium corporibus ex Morbo produci solent, haud possunt per cæca Urinæ secernicula foras protrudi, sed per amplos Intestinorum tubos sunt eliminandi. Adde, quòd exantlatis primis ductibus, facile poterit Aqua in ultimos Corporis recessus trajici, atque Sanguini, aliisque secundariis dictis liquoribus medicinam facere.

Si verò accidat (accidit autem sæpè) ut Parotides appareant, vel cum ipsis Alvi vel Urinæ excrementis purulentum quid intermistum observetur, quod evindens indicium est maturi & rupti jam Abscessûs ; haud ab Aquæ exhibitione surperfendendum, sed eâdem urgendum magis est. Una enim Aquæ, quæ stagnantes in internis partibus humores ad externas depellere, collectos ad maturationem perducere potuit, vim quoque habebit eosdem per varia Corporis secernicula integrè deturbandi, atque partes Abscessu prehensas à necroſi præservandi : quemadmodum sæpiissimè in Praxi vidimus. Praxis tamen eadem nos docuit, abscessus in Cerebro & Thorace factos non adeò facilè Aquæ usu superatos esse : etsi non paucos vidimus, Pure è nari bus, auribus, ore, & tussi quoque è pulmonibus educto,

integrè sanatos. Solemus proinde cùm talium symptomatum signa superveniunt, haud Aquæ præsidium respuere ; sed si somnolenti evadant Ægri, Vesicantia, vel aliud Phænigmatum genus applicare : aut si difficultate spirandi exerceantur, Oleum ex Amygdalis dulcibus recens expressum propinare , vel Aquam ipsam ex frigidâ tepidiusculam reddere. Non raro insuper accidit, ut primis præsertim Aqueæ diætæ diebus, vomitus, & quidem vehemens, superveniat: quo si heterogenei humores, ut fieri solet, ejiciantur, pro bono habendum ; cessat enim cum Ægrotantis levamine, postquam venticulus omnino exoneratus fit. Quod si Aqua ipsa vix epota evomatur, ad iteratas & frequentiores potationes Æger cogendus: etenim Aquam vomitu rejectam maligni humores subsequi solent. Constanter item & assiduò Aqua est exhibenda, si Singultus suboriatur: hunc enim quemadmodùm ab Aquâ excitatum, ita ab Aquâ continentur epotâ compesci observamus. Sudor verò si Frigidam potanti superveniat, solet vires exsolvere, non sine magno vitæ discrimine : Id quidem paradoxon videri poterit iis, qui ex Frigidæ in Febribus potu sudorem expectant, in quo *magnum* domini Hancock Febrifugum consistere scimus. At in diætæ Aqueæ usu, si sudor superveniat, is cohibendus, Aquâ adhuc frigidiori & copiosiori exhibitâ, Ægrique corpus remotis stragulis, ventilabro, & perflatu conclavis refrigerandum : sunt qui & nive ipsâ contritâ conspergere audent.

Maxima porrò in Aquæ usu Medicorum crux est, cùm Ægri vel delirio, vel Lethargo, vel summâ viuum abjectione affecti, ad Aquam justâ copiâ & frequentiâ bibendam impares redduntur. Tunc quidem omnis

omnis adhibenda est industria, ut postremum quod illis
restat remedium, nempe Aqua , exhibeat : Quod
à delirantibus vi & minis, à valde debilibus & conso-
positis Nive in os intrusâ, per fas & nefas, nonnunquam
extorsimus.

Post expositam Aqueæ diætæ methodum, & quomodo
symptomatis *ἐπιφαινόμενοι* occurrentum sit, reliquum
est, ut quibus in Febribus, & quo illarum tempore ad
hoc præsidium deveniendum sit, exponamus. In principio
sanè Universali Februm haud opportunum est statim
Aquam arripere : quum enim tunc temporis cruda & cra-
sa sint omnia, haud jure speres à copiosâ Aquâ peccantes
humores posse vel secerni vel exturbari. Secùs in Morbi
statu cùm omnia exacerbata sunt, & ἡ νύστος ἀνθέει, ut ait
Hippocrates cùm nempe Æger ad maximum pericu-
lum perductus est, Aquæ præsidium opportunum lo-
cum habet : tunc enim materia Febrim fovens ex di-
utinâ ebullitione, particularum contritionem quandam,
vel, si mavis, aliqualem coctionis umbram adepta, po-
terit copiosæ Aquæ exhibitione, illiusque cum humo-
ribus corporis permissoне veluti præcipitari, secerni,
atque quâ data porta evacuari. Hinc igitur sâpe ac-
cidisse vidimus, ut fortunatiùs evaserint, qui in ipso
veluti mortis agone constituti ad hoc extremum præ-
sidium, tanquam ad sacram anchoram confugêre. Hoc
monitum negligentes audaculi quidam Medici, Aquam in
Februm principio, vel incremento exhibentes, in
maxima pericula, & mortem ipsam, Ægros deduxere.
Non inficias tamen iverim, in Febribus Biliofis, seu
tenues humores pro causa agnoscentibus, non infelici
ausu, Aquam quandoque in ipso principio exhibitam
esse : & ratio ex supra dictis evidentissima est.

In Febribus igitur Acutis, Malignis, & lethalibus omnis generis, quo tempore opportunum videbitur, quod à maximo Ægri periculo significare solet, ad diætam Aqueam deveniendum. Nam vel Febres tales sunt, ex quibus ad concretionem tendit sanguis ; & tunc Aquâ copiosâ cum eo permistâ facile poterit fluidam naturam ferè amissam iterum recuperare : Vel ex Febre sanguinis massa ad nimiam tenuitatem, cum spirituum exsolutione vergit ; atque hoc casu Aqua, præfertim frigida, salia acria sanguinem dissolventia solvere & retundere potis erit. Unde phœnomeno lux, cur scilicet frigidum jam redditum Febricitantis Corpus ex frigidæ potatione veluti miraculo incalefacat. Sive enim sanguis ex perniciose spirituum effluxu concrescere incipiat, sive ex nimiâ illius dissolutione spiritus evolent ; semper frigidæ copia cum illo permista (accedente quoque pororum cutis constrictione) æque spirituum dissipationem prohibebit, adeoque Calor amissus revocabitur.

Hinc illud hic inculandum, quod à principio insinuavimus, Aquam non nisi nivatam Febricitantibus præscribendam : primùm enim frigidâ se eâ copiâ ingurgitant Ægri, quæ operi necessaria est, calidam verò respuere post primas potationes solent : prætereà ab Aquæ frigiditate Ventriculi Fibris vis major elastica accedit, quâ propelli in ulteriores vias usque ad sanguinem ea facile possit ; contrà tepescens fibras easdem ad atoniam disponens, sui mole ventriculum inflat, pondere premit ac anxium reddit.

Haud tamen dissimulabimus, nos quandoque non frigidam, sed calentem Aquam præscribere : cùm scilicet Pulmonum & Viscerum Inflammationes & doles cum Febribus copulantur : veriti ne frigidum partes

partes phlogosi prehensas ad *νέκρωσιν* disponat. Verum negare minimè possumus in his casibus non nunquam ad frigidiusculam, etsi non nivatam, transitum fieri : cùm nempe, tepentis Aquæ fastidio affecti Ægrotantes, illam assiduò bibere renuunt. Satius enim esse reputamus, multam frigidiusculam, quam paucam tepentem, sed operi imparem ministrare.

Juxtâ hos canones (quos Experimenta sæpiùs instituta, & Ratio postmodùm, si non invicta, saltem non omnino infirma fuasit) Diætâ Aqueâ in Febribus multoties usi, felices eventus notavimus, ut *ἄγριον μὲν ὕδωρ* verè fateremur. Nonnunquam tamen præconceptâ spe frustrati sumus, quod à Medicinæ fortunâ, præsertim in magnorum Medicamentorum administratione, non abhorret : nil enim adeò certum in illâ est, quod fallere etiam accuratissimos Practicos sæpè non possit.

Hucusque de Frigidæ usu in Febribus locuti sumus : verumtamen sunt & alii Morbi, in quibus Aqueam diætam, & non sine Ægrorum emolumento, analogismo quodam ducti tentavimus. Tales sunt Diarrœa, Dysenteria, imò & Cœliaca, & Lienterica affectio : tales sunt Ischuria Renalis & Dysuria : tales Cardialgia & Cholera Morbus, Hypochondriaca & Hysterica affectio : nec caremus exemplis Hydropis (quis credit ?) copiosâ Aquâ epotâ curati : referatis nempe coecis Renum & Alvi viis è quibus & Aqua & serofus latex ubertim effluxit. Imò & salutarem Aqueæ Diætæ usum experti sumus in Variolis, sed in tertio illarum stadio, ad necem Ægris tendentibus, ex Abscessibus in cerebro & Pectore formatis : quo remedio ingentem

ingentem puris copiam è naribus & ore excerni vidimus. Haud tamen in omnibus his Morbis Aquam Diætam, hoc est, Aquam solam, omni interdicto Cibo, adhibemus ; sed in Chronicis largâ frigidæ potatione quatuor horis ante parcum prandium, atque alterâ octo horis à prandio, contenti esse solemus.

Hæc quidem sufficere putavi ad meum propositum : unum tamen postremò animadvertisendum apprimè esse duco, quoad Aquæ frigidæ exhibendæ copiam ; gravius scilicet delinqui, si minori quantitate propinetur, quam si excedenti. Quum enim eo fine Febricitantibus in valde ancipiti statu constitutis Aqua exhibeat, ut in omne Corpus diffusa, meatus referet, liquoribus motum & tenuitatem naturalem impertiatur, ac membrorum omnium calorem roburque foveat ; id præstituros nos frustrà pollicebimur, modicam proxinantes Aquæ quantitatem, quæ in Ventriculo & primis Visceribus moram trahens, tantum abest ut possit ulteriùs progredi, ut potiùs cum noxiis humoribus ibi stagnantibus permista, illorum putrefactionem promoveat, Ægroque perniciem molliatur. Opus igitur est, ut maximâ quantitate & successivè ingeratur, ad hoc ut copiâ viam sibi paret, & veluti alluvie Corpus universum inundet. Id autem eò audentiùs prosequendum, si post primam transactam diem, transitùs Aquæ signa per Urinam vel alvum apparuerint. Eò enim Aquam reliquis Remediis securitate præstare putamus, quod tametsi nonnulla Medicamenta possent fortassè maximos Morbos debellare si excedenti dosi exhiberentur, veluti stibium Diaphoreticum, Bezoarticum, & sal volatile quodcumque

quodcumque, & ipsum Vinum generosum copiosè epotum; verumtamen quis non videt, ex ipsâ excedenti dosi maximum vitæ periculum, debilibus præfertim Ægrotantibus, imminere? sola Aqua innocentissima & tutissima videtur: vix enim Æger est adeo viribus destitutus, qui uberrimam Aquæ copiam sustinere non valeat. Hinc haud παρεῖ μῆδος factum puto, si etiam cùm desperata res est, & jam conclamatum, Medicus facto prognostico, & expositâ quidlibet audiendi occasione, Aqueam Diætam, et si contraindicatum remedium, si non præcipiat, saltem permittat: nonnunquam enim improvisis Naturæ Modis, desperatos jam Ægros ex insperato ad salutem rediisse vidimus: ut pro fano consilio illud habendum sit, satius esse anceps remedium experiri, quam nullum.

Hæc sunt quæ apud nostrates de Aquæ in Morbis usu experiri usu venit, quo nullum familiarius per vulgi ora nunc fertur Ægritudinum omnium remedium: ut nostris his temporibus aptari commodè possit Versiculus, quem de *Euripide* à ventris cruciatibus, ope Clysteris maris Aquâ parati, liberato, refert *Lærtius*:

‘Η θάλασσα κλύσθαι πάντα τῶν ἀνθρώπων καὶ γένους’

An simile accidere possit in frigidioribus Regionibus (de quo haud desperem, nam etiam hybernâ tempestate tales per Frigidam Curationes h̄c feliciter prosequimur) videant accuratissimi Viri, qui in Boreis Terræ plagis, non sine maximâ laude & fortunâ faciunt Medicinam. Neapoli Calendis Januariis, Anno 1729. St. V.

NICOLAUS CYRILLUS in Reg. Univ. Neap.
Prim. Med. Prof. & Reg. Soc. Leg. Socius.